



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Albertus Babarus n. 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

## CLASSIS V.

## A DVCIBVS, MARCHIONIB.

E T

## COMITIBVS.

*Litera Ba-  
uaria. Duc-  
is in So-  
cietatis  
commenda-  
tionem.*

1. **A**B ALBERTO Duce Bauaro literis ad Generalem Lainium de Monachienſium Sociorum feruore, quem ſummo Princeps cum animi ſui gaudio cernens, ad plures alendos ſubſidium à prædiſto noſtro Generali precatur his verbis in ſummam illorum, Societatiſque commendationem. Ex literis (inquit) quas de mittendis ad nos è Societate veſtra viris anno ad te proximo dedimus, ſatis, vt remur, conſtat quid de vniuerſâ Inſtituti veſtri ratione nobis perſuaſum ſit; quantum inde labenti Chriſtianæ rei commo- di polliceamur. Nec ſane nos ſpes iſta feſellit vnquam. Illi enim ipſi de Societate veſtra, quos nuper ad nos miſiſti, ita ſe primo ſtatim aditu compoſuerunt, vt & vitæ ſanctimonia, & in docendo mira felicique alacritate ceteros ſuos fratres Collegij Ingolſtadienſis laudabili quadam & Eccleſiæ Ca- tholicæ vtiliſſima æmulatione velle viderentur vincere: & nunc iactis feliciter fundamentis publicis concionibus, & & priuatis exhortationibus rem fortius tentant. Quæſatos Vineæ Domini muros ita ſine intermiſſione reſciunt, vt non modo furioſus ille aper, egregiè ab uuis arceatur, ſed vineam ipſam ſeminibus noxijs, & ſentibus perpurgatam ſpes ſit puriorem conſeruari haud difficulter poſſe. Ex his veſtris Seminarijs primitiæ Eccleſiæ faciem iam iam contueri in- credibili gaudio geſtimus. Quis enim niſi ſit ipſe quoque communi, qui totum pene Chriſtianum per Orbem graſ- ſatur, morbo infectus non lætetur ex animo inſanam Hære- ticorum

*Cuius filij  
quæſatos  
vineæ Do-  
mini muros  
reſciunt.*

*Et semina-  
rijs primi-  
tiæ Eccle-  
ſiæ faciem  
reſtaurant.*



ticorum pertinaciam summa eruditione, innocentiaque vitæ Tuorum tandem infringi? Vere igitur ac merito Tibi gratulamur talium filiorum Parenti, in quibus reuiuiscens Religionis, extirpandarumque Hæresum vna firmissima spes consistit. Ceterum in hac nostra lætitia vnum est, quo vehementer commouemur. Cum enim verè credentium, qui in dies magis, ac magis augetur numerus, id efficiat, vt præter quotidianos in schola docendi labores plurimum sit in Templis quoque concionando, faciendo, impertiendoque diuina sacra, & infinitas piorum confessiones audiendo, parumque confirmatos fideliter edocendo desudandum, valde veremur, ne pauci isti Tui Operarij tanto oneri diu ferendo non sint. Rogamus igitur clementi studio, quemadmodum etiam Superioribus nostris literis ad Te contendimus, vt occupatissimorum, & ipso sub pondere collabentium filiorum misertus, plures in hanc copiosissimam messem emittas, qui cum illis, qui iam hic sunt, integrum Collegium constituant, cui nos quidquid erit necesse ita suppeditabimus, vt & nostrum in Venerabilem istam Societatem Vestram amorem plane iterum testemur, & sacrosancta Catholica Religio domicilium apud nos perpetuum habere possit. Viaticum etiam ad Canisij arbitrium præsto erit. *Hæc optimus Princeps, in Par. 2. Hist. Societat. lib. 4. num. 123.*

2. A LOTHARINGO Duce ad Musipontani Collegij Rectorem scribente. Ego (inquit) Barrum (vrbis est Ducatus Barrensis caput) ea vel præcipua vel sola mente festino, vt Collegium, quod ibi tenetur à sæcularibus Præceptoribus, vestris tradendum curem: quo enim alio remedio fidem in illis locis partim inclinantem, partim iam collapsam in integrum restituendam non video. *Sic Princeps Serenissimus in Annal. Societ. anno 1607. fol. 504. Et Ibidem eidem Rectori attestatur; Quod Religio Christiana stare in Lotharingia, id secundum Deum Societatis operis, ac laboribus se referre acceptum. Ita ille in Annal. Soc. ann. 1607. fol. 502.*

*Hæreticorum pertinaciam summa eruditione ac innocentia vitæ infringunt.*

*In eis reuiuiscens religionis, & extirpandarum hæresum spes consistit.*

*Varia eorum ministeria.*

*Qui fidem, vel inclinantem, vel collapsam in integrum restituant.*